DISPUTATIO MEDICA 6

QUÆDAM

DE

PURPURA HÆMORRHAGICA

COMPLECTENS.

AUCTORE JOSEPHO GULIELMO AUSTEN.

PRÆFANDA.

Ex omnibus valetudinis adversæ generibus, quibus corpora humana patent, nulla inquisitu digniora sunt, nullorum causæ, rationes et natura plus medentium aciem luserunt, quam ea, quæ cutem summam male habent. Multæ sane causæ tenebras iisdem offuderunt: plura scilicet eorum tabis pestiferis, suo quodque, subtilissimis, sensumque pene latentibus, illatis nascuntur: quæ quomodo corpori humano no-



ceant, aut efficiant, ut cutis efflorescat, parum hucusque intelligimus. Huc accedit cutis summæ actiones et officia minus perspecta malorum ejus rationem plurimum obscurare: viscerum contra fabrica et muneribus satis compertis, lux exinde clarior eorum morbos illustrat.

Denique, causæ pene innumeræ, quarum plures vix patescunt, cutis vitia moderantur, mutant et regunt: quales sunt, cœli tempestatumque ratio, locorum proprietates, vitæ victusque genus, et quæ sunt hujusmodi. Hinc factum est cutis morbos argumento esse multiplici et perquam irretito. Quantumcunque autem difficultatis idem opprimat, fateri tamen oportet Villanum et Batemanum nuper ordine lucido molem istam indigestam et rudem quodammodo instruxisse; maximeque virum acerrimum Bichatum, membranarum omnium dotibus, officiis et ortu patefactis, novam aperuisse viam, quam secuti demum posteri hunc labyrinthum explorare possint.

Summos medicinæ honores ambiturus, ideoque aliquid ad artem Machaoniam pertinens conscripturus, unum cutis summæ malorum,

scilicet, " Purpuram Hæmorrhagicam," vel, uti alii vocunt, " Hæmorrhœam Petechialem," quod prosequar, selegi. Eoque potius de eadem pauca literis mandare statui, quod inter medicinam faciendam quædam ejus exempla mihi contigit videre. In animo est, quam brevissime et clarissime potero, præcipua huc attinentium edere; sive quæ usu, inter ægros curandos, sive quæ, perlectis medicorum libris, didicerim.

QUÆDAM DE NOMINE ET DEFINITIONE.

Alii aliis morbum propositum nominibus designarunt. Quidam ipso nomine ejus naturam insignire, scilicet, eum definire conati sunt. Hunc in finem Duncanus, " Petechianosin," vel " Aimorrhœam," appellare voluit: Adairus, vir perceleber, qui summa acie ejus signa et causas patefecit, istis vocibus consociatis nomen aptissimum excogitasse videtur; scilicet, " Hæmorrhœam Petechialem."

De Graafius, (Vide Diss. Inaug. de Petech. sine Febre, Gött. MDCCLXXV,) et Ferrisius, (Vide Ferris in Med. Facts and Obs. vol. ii. MDCCXCI,) haud male nuncuparunt " Petechias " sine Febre." Nomen Villanianum *Purpuram Hæmorrhagicam*, eo cæteris anteposui, quod concinne et breviter duas præcipuas notas exponit; nempe, maculas purpureas et sanguinis cursum.

Mali genus, quod Villanus *Purpuram* vocavit, sic definiri potest: " Maculæ purpureæ, exiguæ, invicem discretæ, viribus interdum labefactis; aliquando citra febrem." Idem auctor *species* quinque subjecit; nimirum, *Purpuram simplicem*, *Hæmorrhagicam*, *Urticantem*, *Senilem*, et *Contagiosam*.—(Vide Willan on Cut. Dis.) Cæteris prætermissis, *Purpuram Hæmorrhagicam* ita definire volo:

Per cutem summam maculæ purpureæ vel lividæ, sine tumore vel asperitate, dispersæ; manu premente non evanescentes; aliquando vesiculæ cruore refertæ; sanguis e pluribus locis sua sponte causave levissima admota profusus; ulceribus gingivarum aut alicujus partis corporis nullis; vires non semper fractæ; febris nulla.

Alii alias definitiones ediderunt: quas tamen omnes omittere, quam sermonem inutiliter producere, malui: quippe quæ jam relatæ, non nisi quod ad verba, dissentiunt.

Hisce absolutis, proximum est, ut mali propositi signa proferrem.

DE SIGNIS.

Hic morbus non omnes iisdem penitus malis affligit: ast, aliorum instar, aliis quodammodo alius esse consuevit, prout varient corporis indoles, habitus, ætas, et quæ sunt hujusmodi. Nulli enim ætati, nulli corporis proprietati, parcit. Modo derepente aggreditur, notis prænunciis nullis. Frequentius tamen non prius adoriri cœpit, quam signa valetudinis minus integræ, viriumque lapsarum, prodierint. Nonnunquam antecedunt indicia ventriculi et intestini male se habentium; scilicet, cibi fastidium, vomitus, capitis dolor, vires artuum solutæ: nonnulli sane, sed perpauci, febricitant.

Longe sæpius profecto cutis antea maculis

purpureis, nempe, *petechiis*, efflorescit, quam reliqua malorum accedant. Nonnullis summa cutis vibices sibi præfert liventes, quasi impetu alieno contusa, verberibusve icta; interjectis simul maculis minoribus. Principio, crura maculari solent; deinde, tempore sane incerto, femora, brachia, dorsum, pectus et venter. Raro manus afficiuntur: facies fere semper integra est, quod tamen perpetuum non est. Jam ineunte hoc morbo, maculæ, quas prosequor, læte rubent, paulo postea lividæ vel purpureæ futuræ: demum, jam abituræ colorem sibi induunt fuscum aut subflavum. Quo fit ut aliæ alios exhibeant colores; siquidem non omnes eodem tempore prodeunt, maturantur, aut evanescunt. Plerisque, maculæ non prominent, at cuticula nitida lævique obteguntur: subinde equidem, cruor subater intus effusus hancce attolli facit; vel, uti alias loquar, vesiculæ purpureæ subnigræve eminent. Hæ vero multo frequentius quam alicubi partes *cuticula* tenuissima obductas occupant; veluti, linguam, interiorem genarum et labiorum faciem, gingivas et palatum. Cutis summæ partes jam integræ vel levissime

digito imposito pressæ, imo vero ita contrectatæ, uti medici tangere consuerunt, quo arteriarum pulsum sentiant, exinde sæpe protinus purpurascunt.

Maculæ, quod ad magnitudinem, haud parum inter se discrepant. Quibusdam minimæ pene oculos latent: alias, tantæ sunt, ut pulices cutem summam momordisse videantur; neque unquam adeo eas simulant, quibus alii morbi cutem male habent, ut solerti medico errare liceat. Undecunque cutis istis maculis et vibicibus efflorescat, eadem indoles corporis mala facit, ut sanguis sua sponte, causisve levissimis illatis, uberrime profluat; potissimum autem e partibus interioribus, quas membranæ *mucosæ* obtegunt.

Interdum sane tantum cruoris prorumpit, tamque difficile est ejus cursum cohibere, ut infelix vix non illico pereat; certeve anima ei deficiat, viresque graviter inde dilabuntur. Interdum equidem rivus lentior et aliquanto exilior effluit. Nonnullis porro hic fluxus, intervallis certam quasi legem servantibus, quotidianus est: aliis parcior et rarior, incertis temporibus interjec-

tis: aliis denique cruor continenter manat, nec vero copiose.

E gingivis, faucibus, naribus, facie malarum interiori, lingua, labiis; subinde quoque e membrana palpebrarum interiori, aure exteriori, urinæque meatu, præsertim sanguis effluere solet: quippe quas partes membrana tenerrima, vasisque uberrima, tegit. Eadem causa efficit etiam ut cruor persæpe intus fundatur e vasis asperæ arteriæ ejusque ramulorum, ventriculi, intestini tenuioris et crassioris, renum, partiumque naturalium. Scire autem licet hasce notas tam esse varias, legisque definitæ expertes, ut quando sanguis prorumpere incipiat aut desinat, quousqueve maculæ cuti inspersæ cum profluvio interiori socientur, statui omnino nequeat.

Sanguis profusus, si auctoribus sit fidendum, nonnunquam subniger est; grumulosve sibi præfert, nec tamen raro, quantum usu et experimentis ediscere potui, parum aut nihil sanorum proprio distat: sua sponte nimirum, haud secus atque, valetudine secunda, concrescit. Haud profecto ignoro subinde eum æquo tenuiorem fuisse, rubore simul minus saturo donatum.

Morbus igitur, quem prosequor, duabus potissimum notis insignitur; nempe, maculis purpureis cutem, cursuque sanguinis membranas *mucosas* male habentibus. Quamdiu trahat, admodum incertum est: modo paucis diebus finitur; nonnunquam, at rarissime, plures menses annosve permanet.

Præter signa jam memorata antecedere solita, nonnullis, paulo ante accessionem, artus insigniter dolent, viresque adeo languent, ut anima pene deficiat. Quibusdam sane per totum equidem hujus mali decursum, animus valde contristatur, membraque omnia infirmantur. Arteriæ saliunt exiliter, modo crebrius quam fert natura: interdum æger invicem modo inhorrescit, alias exardet, et sudat; eique vultus subinde rubet, quasi febre *hectica* corriperetur. Hæc tamen perpetua non sunt; multi enim non omnino febricitant.

Nonnullos torserunt dolores imis penetralibus infixi; nempe, ventri, lumbis et præcordiis: alios vexarunt tussis, tumor et intentio quædam summi abdominis, dolorque simul hoc presso ortus: atque alvus pigra et turbata dejectiones-

que atræ; haud raro lingua sorde atra fœdatur.

Sunt contra, quibus viscera cibo concoquendo dicata integritate perfrui videntur. Quum mala tandem diutius perstiterint, maximeque, cum cruor jam diu fluxerit, corpus in habitum malum labitur; vultus luridus squalet, perinsignis animi corporisque languoris index; æger emacrescit; artusque aqua intercute tument.

Quando hic morbus ægrum absumit, mors fere referenda est, aut ad magnam copiam sanguinis alicubi profusam, quæ viribus exinde labefactis, officiove cujusvis viscerum impedito, enecat; aut ad cruorem ubique fere corporis et lentius elapsum. Subinde sanguine intus prorumpente vesiculæ spiritales repletæ hominem strangularunt.

Batemanus (vide Synop. de Morb. Cutis, p. 109.) meminit, tres sibi contigisse hoc malo implicitos videre; qui, cruore e naribus, ore et alvo continenter effluente, atque extussito, periere; unum porro eorum sanguinem quoque, tribus quatuorve diebus ante spiritum extremum, evomuisse. Nosse tamen juvat, non sem-

per lethum instare, sed multos revaluisse: quibus nimirum, valetudine satis firma, vasa *lymphatica* cruorem effusum cuti summæ subjectum sustulere.

DE CAUSIS ABDITIS.

Quænam aut qualis corporis indoles homines potissimum huic morbo subeundo aptet, parum hucusque innotuit. Uti jam proposui, neuter sexuum, nulla ætas immunis esse solet. Præ aliis tamen opportuni sunt delicati, molles, irritabiles, cute summa tenui et lævi præditi; ideoque mulieres et impuberes præ maribus, adultis, fibraque motrici rigida validaque instructis. Quamvis corpora molliora præ aliis opportuna sunt, haud tamen conjicere licet *Scrophulam* huic morbo cognatam esse; innumeri enim illa infecti hoc penitus vacant.


Huc accedit pauperos frequentius quam opibus beatos laborare. Ne multa igitur, corpora, quibus contingunt solidæ partes laxæ, flaccen-

tes et molles, maxime sunt proclivia. Neque tamen non fateri oportet, tenebras hanc argumenti partem obscurare; siquidem aliquando valetudine satis commoda usi in malum, quod prosequor, incidunt.

DE CAUSIS EVIDENTIBUS.

Causæ evidentes sive excitantes sunt omnia quæ corpus resolvunt, roburque conterunt: hujusmodi sunt ignavia; ea negotia quæ artus quiescere, aut parum moveri cogunt; quæve homines conclavibus arctis, aëreque malo inquinatis includi faciunt; porro, mœror, mens solicita, vigilia diutina, fatigatio. Quosdam, jam finitis morbis acutis aut vetustioribus, *Purpura Hæmorrhagica* invasit. Batemanus (Op. cit. p. 110.) testatur, quendam in eam post incidisse, quam præparata ex *Hydragyro* aliquanto parcius ingesta, salivæ fluxum ingentem, aliasque notas corporis isto metallo imbuti, moverint. Modo cutem e *Variola* et *Rubeola* deflo-

rescentem excepit; puerperas nonnullas afflixit. Cum vero manifestum est eandem gravissimam sæviisse, imo vero enecuisse, neque causis jam relatis prægressis, nec aliunde (uti videtur) ortam; hoc porro ruriculis et antea validis evenisse; satis constat causas excitantes adhuc magna ex parte latitare; eoque potius sic judicare oportet, quod causæ supra comprehensæ sæpenumero, citra hanc valetudinem illatam, adhiberi consuerunt.



DE CAUSA CONTINENTE.

Qua causa contineatur morbus, de quo agimus, quæ scilicet sublata eum tollat, mutata mutet, parum adhuc medici comperire potuerunt. Neque enim exempla ejus satis multa literis sunt mandata, ut ex iis invicem collatis certa principia deducere liceat; nec cadavera mortuorum scalpello patefacta (unde potissimum sedes morborum deprehendi possunt,) hanc rei propositæ partem collustrarunt. Lien

profecto subinde grandior, mollior, et quasi fabricam resolutus apparuit; conjicio tamen id vitium *Purpuram Hæmorrhagicam* potius secutum esse quam intulisse. BATEMANUS (Op. cit. p. 113.) quoque retulit cuidam tuber durum *mediastino* antico inhæsisse; nec raro jecur vitiosum fuisse. Perperam igitur hunc petimus fontem, unde causam continentem hauriamus.

Quidam contendunt humores putrescentes, vel ad putredinem vergentes, alii partes solidas debiles vel laxas hoc malum continere. Quorum in verba jurare nequeo: ne enim sermonem inutiliter producam, satis existimo notare, putredinem cum vita sociari non posse; cruorem hic profusum non, quantum scio, solito citius putrescere: solidasque partes non semper laxas aut imbecillas habendas; siquidem nonnullis ægrotantium valetudo parum læsa contingit, actionesque corporis interiores pene sanæ; viresque non prius dilabi consueverunt, quam sanguinis multum jam effluxerit.

Aliam igitur causam exquirendam esse constat. Valde inducor, qui DUNCANO percelebri nostro professori assentiar. Hic medicus exi-

mius edocuit longe sæpius *fibrinæ* minus justo sanguini subesse, eandemque simul mutari, nimirum, esse minus firmam. (Audi Prælectiones DUNCANI de Medicina Pathologica annis MDCCCXVIII & MDCCCXIX.) Hoc concesso, causa continens et signorum ratio quodammodo saltem patere videntur. Perhibeo corporis proprium habitum, suique solius similem proclivitatem facere: eumque, qualiscunque sit, cum valetudine secunda, officiisque viscerum sanis, certeve parum turbatis, committi posse. Quinetiam, conjicio, propter hunc habitum, vires concoctrices ita affici, ut sanguis fiat aut parcius æquo *fibrina* imbutus, aut saltem eadem tenuiori præditus. Quum vero constat e sanguine, veluti fonte communi, cæteras partes omnes derivari, ille mutatus hasce mutet, necesse est. Hinc vasa omnia, fibræ motrices, &c. laxam, mollem et resolutam compagem sibi præferunt: hæc tamen debilitati, quæ vocatur, prorsus aliena est; siquidem aliquando *Purpura Hæmorrhagica* homines (BATEMAN. Op. cit.) nequaquam infirmos aggreditur.

Denique, si hanc rem conjectura prosequi licet, causa continens videtur esse " sanguinis " et exinde vasorum et reliquarum partium so- " lidarum indoles laxa, sui solius similis." Iis vocibus, " sui solius similis," usus multum huc attinens adhuc ignorari confiteor. Hanc tamen causam amplexi patefacere quodammodo possumus, cur maculetur summa cutis: cur etiam sanguis apud membranas *mucosas* sua sponte prorumpat: cur demum hæc signa corpori parum imbecillo eveniant. Vires equidem tandem concidunt, eo quod æger fluxu sanguinis infirmatur: non enim imbecillitas facit ut cruor fundatur; at hic effusus illam progignit.

Quamvis causam continentem jam propositam, veluti verisimillimam, amplexus sum, haud tamen celare licet hucusque desiderari lucem, quæ omnes hujus mali latebras penitus adiret: nec deesse multa, quæ causæ prædictæ discrepare videntur.

Batemanus, (Vide Reports on the Diseases of London, p. 130.), et Parrius, (Parry, Ed. Med. and Surg. Journ.) quibusdam exemplis freti, hanc valetudinem vasis præter naturam

repletis tribuunt: affirmant enim vasa quibusdam ægrorum ubique corporis, quasi onusta, sanguinem effudisse: membranasque *serosas*, haud secus atque *mucosas*, cruorem intus fusum exhibuisse. Ille scribit quandam annos xl natam, graviter affectam, et imbecillam, *Cinchonæ Officinalis* cortice et *Acido Sulphurico* diu frustra sumptis, demum, menstruorum copia immodica profusa, revaluisse. Idem auctor adjicit, persæpe sanguinem, vena incisa missum, et alvum medicamentis expurgatam, cæteris medicinæ auxiliis inutilibus, salutem reduxisse: multisque ægrotantium arterias concitatas saluisse, et sanguinem detractum tunicam corio similem sibi prætulisse.

Hisce perspectis, valde suspicor vasa plus æquo sanguine referta habitui laxo jam descripto accedere. Illud certe constat, posterorum esse acriori studio causam continentem hujus mali inquirere.

DE DIAGNOSI.

Hucusque absoluta re proposita, sequitur, ut inquiramus, quæ morborum genera *Purpuram Hæmorrhagicam* eousque simulent, ut medicus consilii incertus dubitare de mali urgentis natura possit; deinde, quo pacto eadem ab hac discernantur. *Typhus* et *Scorbutus*, ni fallor, unica in tantum eam referunt, ut curanti sit errandum.

DE TYPHO ET PURPURA HÆMORRHAGICA INVICEM DIGNOSCENDIS.

Longe frequentius febris *Purpuræ Hæmorrhagicæ* prorsus deest: quo perspecto, De Graafius eandem "Petechias sine febre" nominavit. Quod si quando febris eam comitatur, scire tamen licet, hujus notas leviores urgere, nec cerebri et nervorum officia graviter perturbari: quinetiam, *Purpuram Hæmorrhagicam* complures menses, imo vero annos traxisse, ro-

bore non prius contrito, quam cruoris moles jam amplissima effluxerit.

Contra, *Typho* impliciti insigniter febrire solent, antequam summa cutis purpurascere cœperit: maculæque cœruleæ ejusdem propriæ viribus motricibus jam dilapsis enascuntur, ideoque cum aliis signis terrentibus consociantur: qualia sunt, cutis gelido sudore madida, delirium, stupor, artus trementes, singultus, arteriarum motus exilissimi, et quæ sunt istiusmodi. Denique, *Typhus* multo ocyus fato vel salute, quam valetudo, de qua agimus, finitur.

DE SCORBUTO ET PURPURA HÆMORRHAGICA INVICEM DISCERNENDIS.

Quod ad *Scorbutum* attinet, parum inter medicos convenit, quantum aut quousque *Purpuræ Hæmorrhagicæ* distet. Alii sane hos morbos inter se diversos esse penitus denegarunt. Adairus (vide Tent. Inaug. MDCCLXXXIX) hanc non esse nisi illum mitiorem existimavit: neque

profecto celandum, *Purpuræ Hæmorrhagicæ* indicia omnia *Scorbuto* contingere. Complura tamen docere videntur hæcce mala inter se admodum esse aliena.

Imprimis, signa valetudinis conquassatæ, nempe, spirandi difficultas, artuum dolores, lassitudo, animæ subinde ipsa defectio, complures dies vel hebdomadas antea vexare consuerunt, quam notæ *Scorbuti* exteræ accesserint. Contra, cutis summa persæpe maculis *Purpuræ Hæmorrhagicæ* propriis subito, nullis fere prænunciis malis, efflorescit; homineque, quod ad alia, integro.

Præter hæc: simul atque *Scorbutus* radices altius quasi corpori infixerit, imo vero interdum jam iniens, quædam mala inferre solet, ex quibus *Purpura Hæmorrhagica*, vel inveterascens, aliis omnino caret, alia rarissime exhibet. Gingivæ nimirum semper intumescunt, spongiosæ: dentes parum firmi alveolis insident: os graveolens vicinos offendit: crura et pedes aqua intercute tument. Attamen perraro cutis maculis purpureis fœdari cœpit, priusquam *Scorbutus* aliquamdiu perstiterit, certeve valetudinem ve-

hementer fregerit. Proinde, cuti maculatæ fere accedunt artuum torpor et resolutio, suræ rigentes, crura ulceribus malis inquinata, dolores viscerum et membrorum, animæ defectio.

Quanquam vero *Purpura Hæmorrhagica* diutissime permanserit, signa tamen ista pessima supra comprehensa prorsus fere deficiunt: neque unquam vires multum labefactantur, dum tandem cruor uberius manaverit.

Denique, *Purpura Hæmorrhagica* neque eandem causam excitatricem, quam *Scorbutus*, agnoscit, (scilicet, victum e carnibus sale conditis et putribus); nec iisdem remediis, nempe, succo *citri medicæ*, &c. cedit.

DE PROGNOSI.

Proximum est, ut paucis ostendere nitar, quæ notæ spem salutis recidivæ, quæ metum instantis fati incutiant. Has vero, aliquo fere adversæ valetudinis genere urgente, cujus causæ signorumque ratio in aprico sunt, perspicere

facile est. Quo fit, ut eventus futuri plurium malorum clarius quam *Purpuræ Hæmorrhagicæ* præsagiri possint.

Illud tamen convenit, eos fere solos periclitari, quibus jam plurimum cruoris effluxerit: non enim vires contritas fluxum moliri, sed fluxum vires conterere.

Medicum prudentem nunquam non, sanguinis magna copia profusa, terreri oportet: usu enim docemur, aut fatum ipsum isti ægro propinquum esse; aut dirum hydropem venturum esse. Quantum igitur adhuc didicerimus, quo plus cruoris effluat, eo magis in præcipiti homo versari consuevit: quo minus, eo tutior: is fere salvus est futurus, cui citra sanguinis cursum, actiones corporis interiores integræ sunt, habitus parum infirmus; cuique maculæ, antea purpureæ lividæve, erubescere, pallere, aut evanescere cœperunt.

DE MEDENDI RATIONE.

Quantumcunque medici inter se discrepuerint, de causis abditis, evidentibus et continente, atque de ratione, qua remedia opitulantur : de his tamen ipsis omnes idem pene sentire videntur. Nec sane rationes subtiles curationem edocuerunt idoneam : sed invicem collatis *Purpura Hæmorrhagica* aliisque morbis ei consimilibus, medici illam iisdem remediis, quæ in hos prodesse antea cognoverint, debellare nixi sunt. Valde tamen suspicor, longe frequentius naturam almam, quam medicinam esse medicatricem.

Si nobis liceat curationem consiliis exequendis subjicere, hæcce proponere haud alienum duco ; scilicet medici est,

A. Causas evidentes fugare.

B. Sanguinis cursum aliasque malas notas sedare.

C. Vires medicamentis et victu, &c. novare.

D. Remedia idonea ministrare, quoties causæ latent, nec simul dilabitur valetudo.

A. De causis fugandis sermonem producere plane non opus est. Satis existimo notare, quotidie sub dio ambulandum esse, aut equitandum, modo virium ratio sinat; semperque citra fatigationem et sudorem: habitandum esse in conclavibus spatiosis, lucidis, quæque perflatum æstivum, et hibernum solem accipiant: noctu dormiendum; omniaque evitanda, quæ mentem angant et solvant, roburque corporis labefaciant.

B. Quo sanguinis cursus, aliæque notæ malæ sedentur, quibusdam medicamentis adstringendi potentibus est utendum; præsertim, *Acidis Sulphurico, Nitrico* et *Muriatico; Infuso Rosæ Gallicæ, Sulpersulphate Argillæ* et *Potassæ*, et Cortice *Cinchonæ Officinalis. Acidum Sulphuricum* valentissimo esse auxilio apparet; quippe quod per se quidam ægros sa-

nasse contendunt. At vero conjicio naturam felicem, potius quam id *acidum* iisdem succurrisse; medicosque sæpissime errasse, ista inani lege "post hoc, ergo propter hoc," innixos. Robertonus profitetur modo *Acidum Nitricum* juvisse.—(Vide Scripta Commentaria Soc. Reg. Ed. Med. annis MDCCXCIX et MDCCC.)

Præter *Acida, Supersulphas Argillæ et Potassæ, Kino, Extractum Acaciæ Catechu* et alia istiusmodi ministrari oportet, quoties fluxus sanguinis copiosus robur triverit, causæque debilitatrices supra comprehensæ mala intulerint.

Quoties cruor e membrana oris, faucium, &c. intima profluit, gargarizare juvabit; in eum finem adhibito *Decocto* Corticis *Cinchonæ Officinalis*, pauxillo *Acidi Sulphurici* et *Tincturæ Myrrhæ* misto. Huc accedit, cutem summam ibi, ubi maculis perquam fœdatur, Spongia Aceto, *Tinctura Myrrhæ* aut *Decocto* Corticis *Cinchonæ Officinalis* imbuta madefieri debere.

C. Si causæ infirmantes, veluti, inedia, mœror, ignavia, cœlum impurum, et alia ejusmodi præcesserint, si actiones interiores languent, et

cursus sanguinis robur labefecerit, *Cinchonæ Officinali* adjicienda Præparata ex Ferro, et victus opimus. Potui aptissima erunt Vinum Rubrum Lusitanicum dilutius, Cerevisiæ fortiores, præsertim quæ vernacule " Porter" nominatur. Cibus optime convenit e carnibus assis vel elixis; qualis nempe *Fibrina* et *Gelatina* abundet. Juscula e carne bovilla aut vitulina proficient: non quod hæc ciborum genera præcipio, iis assensus, qui sanguinem *fibrinæ* pauperem hunc morbum provocare credunt; sed quod isti cibi mihi alituri, eoque vires refecturi videntur. Lac bibendum, nisi, ob corporis proprietatem, ventriculum prægravet et offendat.

D. Supra tamen retuli, interdum citra causas manifestas, et valetudine parum læsa, *Purpuram Hæmorrhagicam* sævire. Si quem igitur, rebus ita se habentibus, aggreditur; si ruricolam victu lauto usum, vegetumque, invadit; si eidem lingua sorde candida obducitur; si arteriæ exiliter, citissimeque moventur, et febricula adest; si demum tussis sputi expers, dolor penetralibus

infixus, alvusque turbata exercent: Vinum, Cortex *Cinchonæ Officinalis*, aliaque roborando et adstringendo idonea, nihil proderunt; imo vero nocebunt.

Opus erit alvum *Submuriate Hydrargyri* aliis medicamentis dejectionem moturis adjecto vacuefacere; idque sæpius aut rarius, plus aut minus, fieri debebit, prout signa postulare videantur.

Quinetiam, si dolores partium interiorum uni sedi hærent, si æger multum febricitat, necdum sanguinis multum effluxerit, venas scalpello, vel hirudinibus impositis deplere, aut *Emplastrum Lyttæ Vesicatoriæ* imponere, proderit; præsertim, si validus et plenus ægrotat.

Hisce remediis rite et tempestive ministratis optime accedunt Præparata ex Ferro et Cortice *Cinchonæ Officinalis*, *Acida Sulphuricum* et *Nitricum*, Victus aliquanto lautior, corpusque ambulando vel equitando exercitatum.

FINIS.